

10) In transitu per aliam parochiam.

Curatus unius dioecesis (quaecumque sit), in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia dioecesi, trans-eundo per propriam parochiam et jurisdictionem, non potest aliquam partem cerae et pecuniarum praetendere. S. C. Episc. et Regul. 28. Nov. 1671, 15. Nov. 1675, et eadem S. C. Episcop. novissime in Placentina pro Terra Clastidii 24. Novbr. 1713 in respons. ad 2.

Parentes cadaveris non tenentur ratione funeralium solvere parochi Cathedr., per cujus parochiam defertur cadaver, aliquam portionem.

N. 3094 die 15. Sept. 1685.

Pro transportatione cadaveris de uno ad alium locum non solvitur gabella sive vectigal. S. Congr. die 10. Jun. 1653.

Parochus praetendit, parochos cum funeribus illac transeuntes debere consistere et ei quartam funeralis persolvere. S. C. resp.: Dictum parochum non posse neque debere impedire, quominus parochi suos defunctos comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt, neque mortuarium petere, quod haeredes propriae parochiae solvant.

N. 615 die 14. Febr. 1626.

Pro extractione, introductione vel transitu cadaveris delati ad sepulturam nequit exequi gabella aut vectigal. Sic reprobatis contrarium sententibus, nervose probat *Card. de Luca* de Regularibus discurs. 166. occasione praetensionis excitatae pro cadavere Cardinalis Giberti Borromaei, qui obiit in oppido Neptuni et transportatus fuit

ad Urbem: et in fine testatur, ita vivae vocis oraculo decisum fuisse a s. m. Alexandro VII. occasione ejusdem praetensionis Dohanerorum pro translatione cadaveris infantis Margaritae de Sabaudia, quae in Urbe pie decedens Assisi sepulturam elegerat, quem aliis adductis sequitur *Ald.* ad Pamphil. decis. 323. n. 9. apud *Ursayam* Institut. Crimin. lib. 3. tit. 9. n. 48 et 49. Et sic expresse declaravit S. Congregatio Immunitat. in Firmana 10. Junii 1653.

Nec parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiae et dioecesis potest praetendere aliquam partem cerae aut pecuniarum pro quarta funerali aut alio titulo ab haeredibus defuncti, ut expresse statuit S. C. Episc. et Regular. in Placentina 24. Nov. 1713 in resp. ad 2 dub.

11) In tumul. pauperum.

Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur.

S. C. Ep. 5. Maii 1617; 31. Maii 1646.

Vd.: *Sepultura pauperum.*

QUATUOR TEMPORA.

Commemor.

Vd.: *Feriae maj.* (commem., decr. n. 4175).

QUINQUE GRANA INCENSI.

Vd.: *Cereus Pasch.* (Bened., Modus).

QUINQUE VULNERA JESU CHRISTI.

Vd.: *Officium* (quinque vuln. etc.).

